



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

19 Aquae benedictae, quaenam fuerit figura in testamento veteri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

ea aquam iniungitur. Et septima, dum dicitur, Deus invictus virtutis, ut in sacerdotali Romano, & septem invocationes possimum in hujusmodi benedictione concurrere creduntur, quia sanctificatur aqua in virtute septem donorum Spiritus sancti, ut per eundem Marcell. d. sec. 2, cap. 7, num: 34, & 35.

**15** Effectus aquæ benedictæ † præcipitus est, ut per eam ante conspectum Domini peccata venialia remittantur, ex communione Theologorum sententia S. Thom. in 3: par. q. 65: artic. 1, ad 6. & 8, q. 83, art. 3, ad 3, q. 87, art. 3: Sot. in 4, sent: dist. 15, q. 2, art. 2: & glo. in proem: sex: in ver. benedictionem, ubi Doctores omnes, & remittuntur per aquam benedictam peccata ex opere operantis, scilicet, quod actus ille devotionis, & reverentiae, qua homo ad sacra recipienda movetur, peccatorum remissionem operatur, non quidem conferendo gratiam, ut in sacramentis, † quia necessaria non est gratiæ infusionis pro venialibus remittendis, sed propter actum devotionis prædictum, ut explicat idem S. Thom. par. 3: quest. 87: art. 3, in corpore, ubi ait, ad remissionem venialis peccati non requiritur novæ gratiæ infusionis, sed sufficiit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltē implicitè, sicut, cum aliquis ferventer moveretur in Deum.

**16** Triplici † autem ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum.

Primò causatur per infusionem gratiæ, & sic per Eucharistiam, & Sacramenta novæ legis.

Secundò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, & hoc modo confessio generalis, tensio pecto-

ris, & oratio Dominicalis proficit ad remissionem venialium peccatorum.

Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, & ad res divinas, & hoc modo benedictio Episcopalis, aquæ benedictæ aspersio, quilibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, & similia, operantur ad remissionem venialium peccatorum. Marcell. eadem sec. 3, cap. 3, num. 1, usque ad num. 11,

**17** Sacerdos aqua benedicta † altare, ecclesiam, & populum aspergit, ut omnis immundorum spirituum spuritia tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur, haec enim virtus aquæ exorcizata ineft, & etiam, quia novus Christianorum populus baptismatis sacramento fuit renatus, ita ministerio aquæ lota resonatorum corpora lustrat, ac diluit, eodem modo, quo sanguis agni à prisco populo ad repellendum percussorem in postibus ponebatur, Duran. rationa: divino. c. 4. lib. 4 & Ugo de S. Vict. inquit, Hac igitur aqua sanctificata fideles asperguntur, & habitacula fidelium illustrantur ab illuhone, & infestatione malignorum spirituum, in quo effectu aqua benedicta figurari † potest in sanguine agni paschalis, qui in postibus habitaculorum ad repellendum exterminatorem Dei mandato ponetur, ut Exod. cap. 12. & Marcell. sec. 3, cap. 2, nu. 19, 20, & 21.

**18** Effectus aquæ benedictæ † est duplex, spiritualis, & temporalis. Spirituales effectus † sunt septem.

**19** Primus, quo profligantur demones † ex creaturis, & locis, ut testatur Petr. Abb. Cluniacen. coetaneus divi Bernardi, qui lib. 1: de mirac. c. 7. narrat, quemadmodum in monasterio Cluniacen. infirmus quidam videbat